



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 1. Quid sit Militia

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

Tractatus Tertius,
 quæ jure etiam civili vendi prohiben-
 tur.

TITVLVS XXXI.

De Militia.

Articulus Primus.

Quid sit Militia.

1. **M**ilitia est hominum multitudo, au-
 ctoritate publica collecta, sub
 præfectis & Ducibus congruis legibus ar-
 tificiose adunata, Sacramento sive Jura-
 mento obligata, ad juste, & justitiæ affectu
 hostes reipublicæ vel propulsandos vel
 persequendos, amore justitiæ & pacis or-
 dinata. Dicitur (*auctoritate publica*) quæ
 residet in Rege, Principe supremo, vel re-
 publica independente: non tamen in infe-
 rioribus, nisi de auctoritate superiorum,
 aut in casu angustiarum, vel necessariæ defen-
 sionis: Dicitur (*artificiose adunata*) con-
 tinet enim militia artem singularem, sive
 se & rempublicam fossis, vallibus, armis, vigi-
 lijs defendendi, sive industrie & ordinate

in a.

in aciem procedendi. Dicitur (*ad iuste & justitiæ affectu hostes propulsandos*) in quibus verbis causæ justi belli, simul & recta intentio bellantium exprimitur: nimirum: protectio populi ab injuriis, quæ fit bello defensivo, vel ultio injuriarum jam inflatarum, quæ fit bello offensivo, intentio autem recta, est veræ justitiæ & æquitatis affectus.

2. Porro tribus conditionibus bellum iuste inchoatur. Nimirum: si sit sufficiens auctoritas: causa justa: intentio recta: sufficiens auctoritas censetur, si à Rege aut Principe supremo aut republica independente indicatur. Causa justa belli offensivi, his clauditur partibus. Prima est: si instituat ad recuperandas terras & bona injuste ablata, sic pugnarunt Hebræi contra Philistæos, quia detinebant terram sibi à Deo promissam. Secunda: dum ad ulciscendam publicam injuriam instituitur: sic ob injuriam factam legatis publicis, & consequenter Regi David eos mittenti ipse bellum indixit Regi ammonitarum, 2. Reg. 10. Tertia ad protegendam justiti-
X 4 tiam.

tiam. Quarta: ad recuperanda jura Regnorum: tale fuit bellum Joram contra Regem Moab 4. Reg. 3. ex recta intentione bellum justum est: dum scilicet ob justitiam, bonum publicum, & pacem bellum geritur, non tam amore vindictæ, quam satisfactionis & justitiæ. Quatuor vero conditionibus bellum finitur & pax coalescit: nimirum restitutione ablatorum, compensatione damnorum: satisfactione injuriarum: vel omnium liberali condonatione.

Articulus Secundus.

De potestate Militum circa personas & bona hostium.

I. **M**iles in hostem potest quidquid spectat, aut aliquo modo pertinet ad finem justum belli consequendum: five fiat occisione, mutilatione, captivitate, bonorum usurpatione, aut incendio. Quia qui juste intendit finem, potest juste adhibere media ad finem, illa autem media sunt, quibus hostis vel juste punitur, vel juste ad restitutionem bonorum vel compensationem